Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 67
Quelle:
Copyright:

tuor columnas luculente, nitidéque ſcriptus, coloribus diſtinctus, et quondam Collegii S. J. *Viennae* continet *Libros Geneſeos* et *Exodi* e verſione vulgata cum *Gloſſa* ordinaria et interlineari. Singulalaris hic eſt Partium diſpoſitio, multoque operoſior inquiſitio, quam nunc in *Bibliis gloſſatis* impreſſis habeatur. Initium ἀνεπιγραφως ita: *Cum omnes diuinos libros legimus in tanta multitudine uerorum intellectuum qui de paucis verbis eruuntur* &c. Ita bis per X. Articulos iſagogicos proceditur usque ad *Geneſeos* principium, atque hi XX. Articuli nihil aliud ſunt, quam Προλεγομενα illa, quae in Bibliis gloſſatis v. g. *Lugduni* 1545. inſcribuntur *Prothemata Gloſſae ordinariae*, quamvis non prorſus eodem ordine progrediantur. A tertia Decade ipſa in *Geneſin* Gloſſa orditur Textum majuſculum jam hinc, jam inde charactere minutiore, quemadmodum et inter lineas, ſtipans. Neque propterea ceſſat Diviſio in Decades, ad quarum miniatos numeros paſſim Librarius in margine notavit: *Scinde t.* id eſt *textum*, vel: *Scinde ſn. Glo.* id eſt, ut ego quidem interpretor: *ſenſum* vel *ſententiam Gloſſae.* Atque hanc quidem induſtriam intermiſit a *Cap.* XLI. reſumſit vero cum *Exodo*, neque ab ea usque ad *Cap.* XXXVI. deſtitit. Magnificus ſane fuerit, magni pretii et multorum Tomorum Adparatus Biblicus, ſi quidem ſocios Codex praeſens habuit. At quoto cuique poterat ejusmodi opus contingere? Itaque ridicule quidam de neglectu Bibliorum ante inventam Artem typographicam quiritati ſunt. Ceterum dubium quoddam meum hic proponam. *Gloſſae* noſtrae Autor paſſim *Walafridus Strabus* audit. *Sigebertus Gemblac. Anonymus Mellic.* et *Trithemius* Seculo IX. viciniores, dum de eo agunt, *Gloſſae* non meminere. In Codice praeſenti inter auctores alios ipſe *Strabus* citatur. Praeterea, ſi quidem Autor ipſe *Gloſſae* fuit, quid opus habuit eam ex ore *Rabani* aut ejus Commentariis, ut quidam tradunt, excipere? Citatur quidem in ea etiam *Rabanus*, ſed longe maxima parte veterum PP. dictis conſtat. An deerant in celeberrimis *S. Galli*, *Fuldae* et *Augiae Divitis* Aſceteriis hi fontes, quos *Walafridus*, ut erat vir doctus, per ſe adiret?

XLVII.

Codex chartaceus hung. Sec. XV. Folior. 161. 4. charactere atro craſſiuſculo perſcriptus, et rubricis diſtinctus ſequentes SS. *Bibliorum* Partes ad interpretationem vulgatam expreſſas continet: *Ruth*, *Judith*, *Eſther*, e *Machabaeis* L. II. *Caput* VII. et *Caput* VI. a *v.* 18. Hiſtoriam nempe Matris et ſeptem Filiorum, et Eleazari ſenis, *Baruch*, *Daniel*, et XII. *Prophetas* minores cum *Hieronymi* Prologo et notis Argumentis. Elocutio, ut quidem mihi linguae periti adfirmant, proba eſt. *Ruth* incipit: *Egy bironac napiban midön a birac feiedelmeked-* R. 81

nec